



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 7. Joannes deponitur. Leo VIII. Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum X.  
A. C. 963.

Episcopi dicere volebant, Papam patris criminibus Potestatem clavium amississe, error fuit manifestus. (\*) Hoc Rescriptum per Hadrianum Cardinalem Presbyterum, & Benedictum Cardinalem Diaconum Papæ missum; qui cum ad Tiberim pervenissent, eum non invenerunt, quippe pharetratus in campestris jam abierat. Nec quisquam, ubi esset, indicare poterat.

§. VII.

*Joannes deponitur. Leo VIII.  
Papa.*

Itaque Cardinales cum eodem Rescripto ad S. Synodum, quæ tunc tertio est habita, reversi sunt. Secundum Canones tertio etiam vocandus fuisset Papa; sed forsan crediderunt Episcopi, fore cæremoniam inutilem, cum nescirent, quo mittendi essent, qui eum vocarent. Ut ut autem id se habeat, Imperator locutus est in hunc modum: *Expectavimus adventum Papæ, ut ipso præsentem querelas*

(\*) Fleurius abrupte admodum tot Episcopos errare suspicatur. Nam Episcopi hic procul dubio loquuntur de usu potestatis clavium, & de Excommunicatione sibi ipsis a Joanne Papa intentata, quæ ut valida esset, non solum potestas clavium, sed etiam justa causa requirebatur.



relas proferremus. Verum, quoniam cum Sæculum X.  
A. C. 963.  
non venturum certo scimus, ut, quam per-  
fide nobiscum egerit, cognoscatis, etiam  
atque etiam rogamus. Namque Joannes  
Papa oppressus a Berengario atque Adal-  
berto, in nos rebellibus, misit in Saxoniam  
nuntios, rogans, ut pro amore (\*) Dei in  
Italiam veniremus, atque Ecclesiam S. Pe-  
tri & ipsum ex faucibus eorum liberare-  
mus. Quantum, adjuvante Deo, effeceri-  
mus, videtis. Nihilominus juramenti,  
& fidei supra corpus Sancti Petri mihi da-  
tæ, oblitus eundem Adalbertum, Romam  
vocatam, contra me defendit, seditionem  
commovit, & videntibus meis militibus  
Dux belli factus lorica & galea armatus  
apparuit. Edicat Sacra Synodus, quid  
de hac re decernat.

Ad hæc Sacra Synodus dixit: Inau-  
ditum vulnus inaudito cauterio est exu-  
rendum. Si corruptis moribus sibi soli  
& non cunctis noceret, quoquo modo tole-  
randus esset, sed quot probi ipsius exemplo  
perversi sunt? petimus itaque a Majesta-  
te tua, ut istud monstrum e Sancta Roma-  
na Ecclesia pellatur, & alius sufficiatur,  
qui sibi prodesse & nobis exemplo præesse  
valeat. Tunc Imperator: Placet, in-  
quit,

D d 3

quit,

(\*) Ex his confirmantur dicta in Nota I. Ma-  
xima illis temporibus certe fuit Romanorum le-  
vitas & inconstantia.



Sæculum X.  
A. C. 963.  
c. II. quit, quod dicitis. Nihilque gratius nobis accidat, quam virum invenire, qui huic Sanctæ & universali Sedi præsit. Omnes una voce ter repetita dixerunt: Leonem virum venerabilem, Ecclesiæ Romanæ Protoscriniarium, optime de Ecclesia meritum, Pastorem eligimus. Imperatore consentiente, Leo ad Lateranense Palatium de more cum Cardinalibus deducitur, die convenienti in Ecclesia S. Petri, mense Decembri, Papa ordinatur, eique a Fidelibus fides juratur.

vit. Joann.  
XII. ap.  
Papebr.

Hic est Leo VIII. qui Sacram Sedem uno anno & quatuor mensibus obtinuit, patria Romanus, Joannis Protoscriniarii filius. Ordinatione facta eodem mense Decembri, anno nongentesimo sexagesimo tertio, Presbyteros septem, Diaconos duos creavit. Ceterum ipsa Acta Concilii, in quo electus fuit Leo, non habemus, sed solummodo narratio, quæ occurrit in fine Historiæ Luitprandi, nobis superest. (\*)

## §. VIII.

Romani Obitus. Nicephorus Phocas  
Imperator.

Cedr. p. 645. In Oriente Romanus junior, Imperator,  
p. 642. mortuus est decima quinta Martii eodem

(\*) Hic Leo Romanorum Pontificum Catalogo